

1853

H O M I L E T I C I.

1854

denchet unfer bußgenozen, die nw-lichen uerſcheiden ſint, Maifter gumperhtes, unde meifter wizeperb &c. In uniuersum magni pretii mihi hoc priſcae Pietatis et Linguae noſtrae Monumentum uidetur.

DCCLXIX.

R. 223 Codex chartaceus lat. Sec. XV. ineuntis Folior. 188. 4. cur-rente calamo ſcriptus et minio diſtinctus continet: I. *Modum procedendi in ſermones de ſacramento corporis domini.* Orta eſt jam olim haec Inſcriptio e primis Prooemii verbis: *De ſacroſancto corporis domini locuturi ſacramento proponimus donante deo procedere tali modo &c.* Atque hoc Prooemium deeſſe in Edit. Rom. 1570. Opp. S. *Thomae Aquin.* T. XVII. p. 43. jam Vol. I. quo plura retulimus horum de Euchariftia Sermorum Exempla, diximus, licet in pluribus Mſs. et in uetufta a. 1472. edit. in f. quam *Arnoldi ther Hoernen Colon.* credimus, habeatur. Habetur uero etiam, poſtquam Praedicatoribus uifum eſt, dictos Sermones a Diſcipulo ad Magiſtrum, uidelicet *Albertum M.* transferre, in hujus edit. *Lugd.* 1651. T. XII. p. 247. f. Sermones numero XXXII. licet in *Codice* paullo aliter diuifi ſint, maximam partem Thema habent: *Venite, comedite panem meum &c. Prov. 9.* ut jam alibi dictum eſt. In *Codice* adſcriptus eſt extrava-gans in illud: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. Job. 6.* de Proprietatibus Hoſtiae.

II. fol. 57. p. 2. *Incipit genealogia glorioſe uirginis marie per fratrem thomam de diuerſis ſanctorum patrum dictis compilata.* Initium: *Sancta et ſuperlaudabilis ſemper uirgo dei genitrix maria ab eterno preuiſa conſilio dei predeſtinata, de diuerſis ymaginibus et ſermonibus prophetarum per ſpiritum ſanctum ſignificata &c.* Non Patrum modo dicta, ſed apocryphas etiam traditiones de Parentibus *Mariae*, de Nuptiis *Johannis* Evang. &c. ſequitur, quin et Commercium epiſtolicum *Ignatii, Miriae* et *Johannis* inferit. Titulus poſtremus eſt de *Glorificatione matris domini ex Mellicio*, dic *Melitone* ſpurio. Quis uero *Thomas* noſter? Nescio, niſi *Thomas de Hales* ſit *Anglus* Ord. Min. qui circa a. 1340. floruit, et *Librum unum de B. V. M.* ut *Baleus, Pitſeus, Tannerus, Waddingus*, vel *Vitam B. V. M.* ut *Gefnerus* tradit, reliquit, certe rariffimam.

III. fol. 73. *Incipiunt ſententie Alexandri.* Breviffima Quaeſita et Reſponſa lecta e Scriptis *Alex. de Hales* ſeu *Alenſis* O. M. pariter *Angli* Doctores irrefragabilis ✠ *Parifiis* 1245. Ineunt: *Hec eſt differentia inter amorem dilectionem et caritatem, quod amor eſt nature, dilectio uoluntatis, caritas gratie &c.*

III. fol. 74. p. 2. *Sermones* multi uel potius *Adparatus homileticus* de Feſtis Domini et praecipue B. V. *Mariae.* Primus eſt *Sermo de Paſſione Domini* in illud: *Inclinato capite emiſit ſpiritum Job. 19.* hoc initio: *Vt paſſionem domini*

1855

CODICES

1856

domini melius intelligamus, dicendum est de passionis causa, efficacia, magnitudine &c. Autor nullibi notatus.

Quid dignum tanto feret hic promissor biatu?

Nihil nisi prima II. *Capita Libelli*, quem ipse Autor *Bonaventura* dici voluit *Incendium Amoris*, quem vero pii Scioli jam *Regimen Conscientiae*, jam *parvum Bonum*, jam *Itinerarium in se ipsum*, jam *Fontem Vitae* inscribere, quibus adde *Nostrum*. Extat edit. *Lugd.* 1686. T. VII. p. 184. et incipit: *Ecce descripsi eam tibi tripliciter &c.*

V. fol. 146. Incipit *Augustinus de Differentia inter spiritum et animam*. Ita: *Quoniam dictum est mihi, ut me ipsum cognoscam &c.* *Hugoni Victor.* tribuitur tanquam Liber ejus II. *de Anima* edit. *Rotom.* 1648. T. II. p. 145. *Isaaco Abb. de Stella* vel amico ejus *Alchero Monachis Cisterc.* in *Biblioth. Ord.* T. VI. p. 84. utroque loco multo brevior est compilatio; quam in *Append.* T. VI. *Opp. Augustini* edit. *Maur.* col. 35. ubi 3. lineis Codicem nostrum excedit, qui finit: *quos suscepit regendos.* Quid de ea censendum, habes ibi in *Monito praev.* Nobis adhaerent II. Excerpta: *De Cognitione sui ipsius, et de Die Judicij.*

DCCLXX.

R. 3132 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 356. 4. min. ele-

IV. fol. 134. Incipit *compendium compendiorum totius beatitudinis.* Quaeras:

ganter perscriptus, minio distinctus, et olim *Monasterii S. Dorothee in Vienna* complectitur *Sermones de Tempore*, primum ab Aduentu ad Pascha, dein a Paschate ad Adventum, et quidem numero plures in singulos dies, ita ut universim CLXXXV. censeantur, et tamen Sermo I. de Aduentu deficit, id quod notat Rubrica marginis: *Hic deest primus Sermo.* Praemisso igitur *Materiarum* alphabetico Indice Sermo II. incipit, *Universe uie domini misericordia et ueritas. Quando populo notificatur sui regis aduentus sollicite queritur de uia per quam uenturus est. ut ei ualeat obuiare. &c.* Sermones hi prae multis aliis hujus aevi prelum meriti fuissent, nisi esset quaedam etiam *Fortuna typographica.* De Autore inquirens video in anteriore *Theca manu Sec. XV.* notari: *Sermones fratris luce parisiensis de tempore super epistolas et ewangelia de ordine minorum.* Geminum *Lucam* profert *Waddingus in Scriptt. O. M. Affisatem* unum, Regentem quidem aliquando *Studii Parisiensis*, editorem unius solum *Opusculi de Christi incarnatione*, et qui anno demum 1440. floruerit; alterum *Patavinum* a. 1245. defunctum, et a *Trithemio* etiam n. 501. celebratum autorem *Sermonum de Tempore.*